

IV.

**Grafendiplom**

mit Prädikat „Hoch- und Wohlgeboren“


von

**Kaiser Leopold**

für

**Adrian v. Euckedoert**

d. d. Wien 15. November 1658.



Leopoldus divina favente clementia Electus Romanorum imperator semper Augustus ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclavoniae etc. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carniolae, Marchio Maroviae, Dux Lucemburgiae ac superioris et inferioris Silesiae, Wirttembergae et Teckae, Princeps Sueviae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Terretis, Kyburgi et Coritiae, Landgravius Alsatiae, Marchio sacri Romani imperii Burgoviae ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis et Salinarum.

Illustri et generoso nostro et sacri imperii fideli dilecto Adriano Comiti ab Enckevoërt nostro Consiliario arcano et campi Mareschallo gratiam nostram Caesaream et omne bonum.

Cum nihil sit inter mortales praestantius aut sublimius Imperatoriae Maiestatis celsitudine, quam Deus optimus maximus vel inde etiam prae ceteris humanis dignitatibus eminare voluit, ut splendore suo micantissimis quasi radiis terrarum Orbem, et commissum sibi imperium illustret. Par equidem et rationi maxime consentaneum est, ut nos divina voluntate atque providentia ad summum huius dignitatis fastigium evecti non solum omnium commodis et utilitatibus sedulo invigilemus benignitatisque et munificentiae nostrae radias in quoscumque fideles nostros diffundamus; verum in hanc etiam potissimam curam atque diligentiam incumbamus,



ut eorum, qui de maioribus nostris, sacro imperio, et incluta nostra Austriae Domo bene meriti sunt, postquam prisca familiae nobilitas, quam virtus etiam propria, prudentia integritas, resque Domi et foris cum laude et fortiter gestae aliaeque insignes animi dotes prae ceteris claros reddunt, conditio atque gradus amplioris etiam honoris et dignitatis praeeminentia non destituat: Idque vel eo magis, quod per hoc ipsum non aequitatis modo et Justitiae ratio habeatur, sed is ad dignitatis etiam amplitudinisque Caesareae splendorem illustrandum, remque publicam fovendam atque iuvandam pertinere videntur. Cum igitur compertum habeamus, Adriane Comes ab Enckevoërt, Maiores olim tuos fuisse viros non solum antiqua familiae nobilitate, vitaeque semper ac morum integritate celebres, sed de Republica, etiam Christiana, adeoque a Divis quondam Romanorum Imperatoribus ac Regibus Praedecessoribus nostris colendissimis, inclutisque nostris Austriae et Burgundiae Dombus bene meritos; Ac inter illos quidem, ut Gujjelimum ab Enckevoërt, qui summo Excellentissimarum virtutum suarum merito, ab Adriano quondam Sexto, Pontifice Maximo in Cardinalium Collegium fuit assumptus, paucis praetereamus, Patrem proxime tuum, Gujjelimum et ipsum nominatum, cum in diversis Expeditionibus bellicis sub Augustae Domus nostrae auspiciis strenue militasset, non modo debitum Principi Patriaeque fidem summa Fortitudinis et Industriae laude, spreto quibuscumque vitae ac fortunarum periculis comprobasse, sed . . . elum etiam suum vel tum maxime demonstrasse, cum duas Cataphractorum Equitum turmas propriis suis sumptibus conscriptas, pro eiusdem servitio diu ducendo, et omnia egregii vel militis vel Ducis munia implendo, tandem vitam pro Principe ac eadem Domo nostra fortiter et gloriose profudit: Te vero praenominatum Adrianum Comitem ab Enckevoërt, ab avitis, paternisque virtutibus haud degenerem, id praecipue semper curae habuisse, eaque omnibus viribus intendisse, ut acceptum ab iisdem decus domesticum

non solum sartum undequaque ac tectum, sed propriis etiam meritis, praeclarisque facinoribus adauctum posteritati tradere posses; Ita sane ut iam ante viginti quinque annos, Divus quondam Romanorum Imperator Ferdinandus Secundus, Dominus tuus et Praedecessor noster colendissimus Augustae memoriae, clarissimis, a gregario Milite paulatim ad omnes paene ordinum Militarium gradus, ascendens Fortitudinis tuae, et generositatis speciminibus adductus [: quippe Legionem insuper splendidam trium virorum milium in quatuordecim distributam Vexilla iam tum proprio tuo aere conflaveras atque armaveras :] haud abs re dignum iudicavit quem benigne complecteretur, atque adeo te totamque tuam Prosapiam peculiari gratiae ac munificentiae documento, quippe antiquam generis tui nobilitatem in Liberum Barوناتum vetustiorisque prosapiae statum attollendo Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto (uti ex eiusdem Diplomate Augustali sibi super hoc dato liquet) exornandum susciperet. Quo quidem honore honestae tuae cupiditatis igniculo, quo alias accensus ad pulcherrima quaevis patranda ferebaris, in tantum fomes est additus, ut nullam abinde fortitudinis ac fidei probandae occasionem, sub Divo etiam Romanorum imperatore Fernando Tertio Domino, Patre et Praedecessore proximo nostro colendissimo, Augustae memoriae, declinaveris, sed in omnibus fere proeliis maioribus, tam quae abinde, quam antea diversis in locis, ac nominatim quidem in Belgica, Saxonica, Tyrolensibus, Bavaricis, Burgundica et Lotharingica Expeditionibus et bellis pugnata fuerunt, et fuerant, talem te militem atque Ducem quadraginta integris, quibus militasti, annis comprobaveris, ut Dil: et Majestas sua anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto non diu ante decessum ex hac vita suum, te in postrema Expeditione Italica Copiis suis cum Imperio supremis eiusdem Exercitus Mareschalli praefecerit, Consiliariisque sui arcani dignitate non decorarit, modo verum etiam dignum iudicavit, quem Sacri Romani imperii crearet Comitem. Quibus omnibus de



causis et nos omnino confisi non modo te deinceps quoque tui similem futurum, sed clara haec Virtutis tuae documenta posteris etiam tuis ad eandem aleam experiendam incitamento atque stimulo esse futura; faciendum nobis duximus, ut quo honore alte memorati Domini Patris nostri Dil: et Majestate condecorarat, nos, Eiusdem non minus in laudatissimis suis intentionibus, quam in imperio etiam, Regnis et Provinciis successores, Eundem tibi ex munificentia nostra Caesarea pro tuo posteritatisque tuae legitimae perpetuo ornamento et gloria confirmaremus.

Motu itaque proprio, ex certa nostra scientia, animo bene deliberato, ac sano accedente consilio, deque Caesareae potestatis nostrae plenitudine te supradictum Adrianum Liberum Baronem ab Enckevoërt, omnesque et singulos liberos, heredes posteros ac descendentes tuos legitimos utriusque sexus, natos et aeterna serie nascituros, Sacri Romani Imperii Regnorumque et Provinciarum nostrarum hereditariarum Comites et Comitissas, creavimus fecimus, nominavimus et confirmavimus, tituloque honore et dignitate Comitatus Imperialis auximus atque insignivimus, sicuti vigore praesentium creamus, facimus, nominamus, augemus, insignimus et confirmamus. Volentes, praesentique Edicto nostro Caesareo in perpetuum valituro firmiter et expresse decernentes, quod tu modo dicte Adriane, Comes ab Enckevoërt, cum universa prole et posteritate legitima mascula et femina in infinitum titulum, nomen et dignitatem Comitum Imperii perpetuis deinceps temporibus habere, obtinere et ferre, eoque tam in litteris quam nuncupatione verbali, in rebus spiritualibus et temporalibus, Ecclesiasticis et profanis, honorari, appellari et reputari, ac denique omnibus et singulis honoribus, ornamentis, dignitatibus, gratiis, libertatibus, privilegiis, Juribus, indultis, consuetudinibus, praeminentiis et praerogativis libere et citra cuiuslibet impedimentum uti, frui, potiri et gaudere possitis et debeatis quibus coeteri nostri, et Sacri Imperii Comites a quatuor vel pluribus Annis nati utuntur,

fruuntur, potiuntur et gaudent, consuetudine vel de iure; Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque, etiamsi talia forent, de quibus in praesentibus specialis et expressa mentio fieri deberet, quibus per praesentes scienter et autoritate nostra Caesarea derogamus, et sufficienter derogatum esse volumus.

Cupientes insuper te Adrianum Comitem ab Enckevoërt luculentiori benignitatis nostrae testimonio experiri quam grata atque accepta nobis tua, Sacro Romano Imperio, ac Augustae nostrae Domui Austriacae praestita hactenus servitia extiterint; Motu scientia et autoritate quibus supra, tibi omnibusque liberis, heredibus, posteris, ac descendantibus tuis legitimis utriusque sexus, natis et aeterna serie nascituris, hanc quoque specialem gratiam concessimus et elargiti sumus prout vigore huius nostri Diplomatis clementer concedimus et elargimur, ut perpetuis posthac temporibus in omnibus et singulis scripturis ac litteris ex Imperiali aut Augustae Domus nostrae Cancellariis expediendis, quoties tui aut tuorum mentio unquam facienda erit, vos Universi et singulo honorifico semper titulo seu praedicato Illustris et Generosi [ : quod germanico idiomate Hoch- undt Wohlgeborn sonat : ] compellari, nuncupari et inscribi debeatis: Prout in hunc ipsum benignae mentis et voluntatis nostrae Caesareae effectiam dictis nostris Cancellariis ad submissam vestram petitionem per Caesarea decreta stricte ordinabimus, mandabimus, iniungemus.

Quocirca mandamus universis et singulis Electoribus, aliisque Sacri Imperii Principibus, Ecclesiasticis et Secularibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Nobilibus, Clientibus, Capitaneis, Vice-  
dominis, Praefectis, Castellanis, Locumtenentibus, Officialibus, Heroaldis, Caduceatoribus, Burgimagistris, Judicibus, Consulibus, Civibus, et generaliter omnibus et singulis nostris ac Sacri Romani Imperii, Regnorumque et Dominiorum nostrorum haereditariorum subditis ac fidelibus dilectis cuius-



cumque dignitatis, gradus, ordinis et conditionis existans, ut te saepe memoratum Adrianum Comitem ab Enckevoërt, tuosque liberos, heredes et posteros legitimos, utriusque sexus in infinitum in dicto Comitibus Imperii statu, ordine et dignitate permanere, omnibusque et singulis praememoratis privilegiis, indultis, immunitatibus, libertatibus, Juribus, consuetudinibus, honoribus, dignitatibus, praerogativis, exemptionibus, gratiis et favoribus vobis in hoc nostro Diplomate concessis, libere, quiete, pacifice, et sine omni prorsus impedimento et contradictione uti, frui, gaudere et potiri sinant, adeoque vos in omnibus et singulis defendere, conservare, et manutenere studeant, ac idem ac aliis etiam, quanta in ipsis erit, sedulo fieri curent. Si quis vero secus faxit, et contra tenorem huius nostri Imperialis Diplomatis quippiam designare, vel attentare, et hanc creationis, erectionis, concessionis, largitionis, indulti, decreti, voluntatis, liberalitatis, derogationis, privilegii et gratiae nostrae Caesareae paginam sive in parte, sive in Universam infringere, aut alio quovis modo, vel ausu temerario violare praesumpserit, is praeter gravissimam nostram et Sacri Imperii indignationem, centum marcharum auri puri, puti, probi, ex semisse Aerario, sine Fisco nostro Imperiali, ex altero vero semisse iniuriam passi seu passorum usibus applicandarum irremissibiliter, toties quoties contrafactum fuerit multam dare iam nunc damnas esto. Harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum et Bullae nostrae aureae appensione munitarum.

Datum in civitate nostra Viennae die decima quinta mensis Novembris, anno domini millesimo sexcentesimo quinquagesimo octavo, Regnorum nostrorum Romani primo, Hungarici tertio, Bohemici vero secundo.

Leopoldus m. p.

V. S. Wildericus Baro de Walderdorf m. p.

Ad. Mandatum Sac. Caes. Maj. proprium

Joh. Walderode m. p.

Abſchrift im Vogelfanger Archiv. — Vgl. oben Seite 45 und 55.